DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XVI. IANVARII,

M. DANIELE ARBINET, Doctore Medico, Præside.

An cor magnum paruo præstantius? 1017

PARTIVM quæ in homine generis nobilitate florent, aliam aliâ præstare sentimus, vel ex eo quòd sit perfecta elegantiùs, vel vtiliori & diuiniori facultati inseruiat: Ob illud vtrúmque cor natiui caloris focus inter primas locum sibi vendicat; sed in publicâ particularum functione pleræque toti instrumento comitatum præbent, sine quibus nulla sit actio, aliæ sunt comparatæ ad agendum commodiùs, aliæ in quovis organo principem particulam tutantur. Vt omnium quantæcumque sint, mutua sit ad absolutum opus consensio, atque vt simul vniuersæ suo vsu (qui est ab actione vel ad actionem) sint profuturæ plurimùm ad salutem animalis, tamen cordis quam cæterarum ad vitam tuendam major necessitas.

CONSTRVCTI sui gratiâ thoracis ad amussim medium, firmum, & refrigerio opportunatissimum locum cor obtinuit, pari à clauiculis ad πείζωμα musculum recessu; pari à vertebris ad anterius os pectoris distantiâ. Ea est munitissima regio quæ pacatur numquam, motu semper cietur interiore, quò sit respiratio ad contemperandum vitalis flammæ calorem affuso aëre, ad augendas etiam exclusâ fuligine purioris spiritus copias; neque verò cordis thalami, vt suas opes non diffundant, aliquo tempore otiantur, dissimili tamen in genitis ratione, in quibus pulmone tanquam spiritus promptuario non statim faucibus cor vtitur, ne idem sit respirationis concentus cum arteriarum agitatione, quæ à corde pendet ac nè vitam duceret impeditam tetro aëre ac pestifero halitu; sed vocem protraheret homo citra offensionem.

COR natiui caloris quo partes reficiuntur fons & domicilium, etsi omni suâ parte principatum teneat, tamen quæ vasorum orificio vtrinque est attributa (oræ scilicet interiori ventriculorum) dignitate antecellit, ijs siquidem motionis peremnitas est indita, quæ non nisi duræ & ægrè patibilis substantiæ beneficio esse potuit: Itaque ex triplici villorum genere cor contextum est, vt quamquam robore nullum sit organum præstantius, omnium tamen minimè iniurias grauiores sustineat sine præsentissimo vitæ discrimine; num illud sæpiùs vegetum adhuc (quæ eius substantiæ constantia est) incredibiles febris æstus patitur? nùm extinctum pari cum ossibus firmitate iam aliquotiès flammam sustinuit? vt hepar est vetustatis patiens, sic cor propemodùm marcidis partibus ægrè senescit, vt eùm semper de se vitam promat arx illa, vltimò aduersæ mortis casibus expugnetur.

PRÆTER ampli cordis quandam velut articulationem, quæ futuris capitis similis est, motus proprius, animosa vis illius robur & magnitudinem testantur, si præsertim arteriarum pulsus tanquàm fideles internuntij facultatis summè & semper valeant, qui eiusmodi dotibus carent ἀσπλάγχνους, insigni vecordiâ infames verè dixeris; quin etiam cor paruum angusto pectore acerosis sæpissimè diuexato non modò continetur, verum-etiam morborum aggressione citò fatiscit, quippè affectus qui accidit ei, ex inopiâ iam in eo præest, vt debilis calor propugnandis partibus minimè par sit; ecce quibus tenue illud ψυχάριον, repentinus timor plerúmque, gaudium immodicum aliquando mortem intulit.

COR amplum totâ suâ substantiâ agitatur, attrahit valentiùs, liberaliùs suas effundit opes, dilatatis arterijs, manante spiritu; ad seruandam partium temperiem, atque cùm præclarè omnibus particulis opituletur, tùm certè vnà cum ratione omne perturbationum genus vi illatâ eximiè coërcet, si quando rationis iussa accensa cupiditas aspernetur: Ex amplis cordis penatibus vberior copia spirituum & natiui caloris animo suppeditatur, illos latratus graues exercent, quies breuior placat; sed illud singulare est quòd vt longæuitatis sic redeuntis aliquando præter expectationem salutis cor sit principium. An hirtis corde nulli audaciores? sanè habet cum iucundâ luce virtutis congruentia omnia cordis magnitudo, neque vnquam turpiter jacere potest generosi cordis vis, magno corde esse præditum optimus ad valetudinem & heroïca studia gradus.

Ergo cor magnum paruo præstantius.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Simon Boulot.	*M. Michaël du Pont.*	*M. Petrus Hommets.*
M. Claudius Tardy.	*M. Petrus de Mercenne.*	*M. Iacobus Renaud.*
M. Ioannes Foreslier.	*M. Andreas Guiet.*	*M. Nicolaus Langlois.*

Proponebat Lutetiæ IOANNES EDMONDVS CHARRIER, Tricassinus A. R. S. H. M. DC. LIII.